

CÆLII

Secundi Curi

NIS SELECTARVM EPI
stolarum Libri duo.

*Eiusdem Orationum (inter quas &
Agrippæ contra Monarchiam, &
Mecænatiss pro Monarchia, aduer-
ria orationes duæ, lectu dignissi-
mæ, ex Dionis latinitate donatæ.)
continentur, Liber*

uno

unus.


uno

Varia eruditione ac rerum cognitione refer-
ta omnia, magnâq; parte nunc primùm in lu-
cem edita: quorum Catalogum sta-
tim à Præfatione re-
peries.

BASILEAE, PER IO-
annem Oporinum.

1553.

[Handwritten signature]



amplitude dignum : & huic urbi , nec non Deo ,
cui ea tutela est , maximo fuerit ornamento . Dixi .

CAELII SECVNDI CVRIONIS
in Ioan. Iacobum Gambar . Pon-
tificem Albingaunensem Ora-
ratio funebris , Papiæ
habita .

SI de ignoto , obscuroq; homine , in tam frequē-
sti Patrum , illustriumq; uirorum confesso mihi
esset dicendum , impudens equidem uideri pote-
ram , qui unius dieculæ interuallo , dignam me ac i-
doneam uestris purgatissimis auribus orationem
allaturum sperarem : quippe laudum mole obrutus ,
ac planè oppressus , nihil huc , in tam breui tempo-
re , perfectum ingenio , elaboratum industria , uti
par fuerat , adferre potuissem . Verum cum de eo
sim apud uos , uiri magnifici , uiro uerba facturus ,
qui cum familiæ splendore , tum suis laudibus , nō in
subrie modò , sed Italiae totius oras illustrat , bona
me oneris parte leuatum sentio : speroq; fore , ut
quicquid à me in hoc funebri dicetur præconio ,
uobis si minus perfectum atque elaboratum , nō in-
gratum tamen uideatur . Dicendum est enim de am-
plissimi uiri Ioannis Iacobi Gambaranæ , Comitæ
Palatini , Albingaunensisq; Pontificis laudibus , e-
ximijsq; uirtutibus : ex quibus si fructus uberes a-
liquando

liquando cepistis, arbitror illarum commemoratio-
nem uobis nec insuauem, nec iniucundam fore.

Quare uideor mihi totam hanc laudationem in du-
as partes secare quodammodo posse: ut primum
de his quæ ante episcopi munus, deinde de ijs quæ
postea Pontifex gessit, dicamus. Mihi igitur ali-
quid de hac illustri Gambarana, Palatinaq; domo
meditanti, tot uiri principes, omniq; uirtutum lau-
de insignes occurrunt, ut à quo primum exordiar,
nesciam. Quis ignorare potest, quanta semper hu-
ius familie fuerit claritudo, quæ Cesaris in Italia
negotia tam diu bene & feliciter gessit? Ex qua O-
tho & Iacobus, huius nostri gentilis uterq; inte-
gerrimus senator, uterque suo principi charus: ille
Mantuae, hic Montisferrati prodire. Cui successit
Dominicus, alter Scaeuola iurisconsultissimus. Sed
quid uetusta hæc, maioresq; persequor, quod faci-
unt ij, qui nihil in iunioribus dignum laude repe-
riunt. Mihi enim etiam atq; etiã cuncta rimanti, ij
demum clari nobilesq; uideri solent, non qui maio-
rum modò imagines, cerasq; iactant, sed qui & pa-
trum laudes imitantur, & posteris sua ipsi uirtu-
te prælucent. Id quod optimè prospiciens Ioan-
nes Iacobus, propositam sibi à maioribus gloriam
putauit, ad quam omni sibi contentione foret eni-
tendum: atque à patre in primis suo, Ioanne, uiro
planè regio. Hic uxorem Agnetem ex eadem sua
familia

familia foeminam honestissimam duxit, ex qua hūc ipsum Ioannem Iacobum filium suscepit, quem statim & cum ipso penè lacte ingenuis & moribus, & literis (quæ semper illius domus cōsuetudo fuit) excolēdum tradiderūt : qui, ut erat ingenio ad omnia sequaci, breui maximis Academijs idoneus euasit. In hoc igitur omnium terrarum florentissimo, celeberrimoq; Ticinensi gymnasio, illam partem philosophiæ, qua urbes populiq; reguntur, quæ Iuris prudentia rectissime appellatur, secutus, non opibus, quæ alioqui illi amplæ erant: non stemmatibus numerosis, quibus pleriq; tument, confidens: non uoluptatibus noxijs, quæ non rarò iuuenum animos à recto auertunt, indulgens: sed studijs animo & mente præsentī inherens, intra paucos annos duplicem lauream meruit, & Cæsarei & Pontificij iuris: qua donatus, & in hoc uestriū selectissimorū Iuriscōsultorum collegium accitus, certatim illi ab Italiæ regulis magistratus amplissimi oblatisunt: ac statim Placentiæ, mox Cremae prætor creatur. Nec multo post fama sese uirilatius diffundēte, à Mātuae Principe euocatus, magna, præclaraq; munera in ea urbe gessit. Quid Mediolanum, totius ferè Italiæ lumē memorē? ubi iudex & quæstor equissimus omnium cum admiratione fuit? Quid partē illam Italiæ, in qua Augusta Taurinorū est, quæ sub ipso Apēnini iugo sita,

Allo-

Allobrogum paruit regulis : in qua & senator, & à consilijs secretisq; Principi semper fuit ? Sed inter hæc cum animum ad uxorem appulisset, ex uestris, suisq; ciuibus lectissimam foeminam, ac planè heroicam sibi, Veronicam Rinaldi Torti, uirì illustrissimi, filiã scælici auspicio copulauit: è quib. Isabella, alterũ huiusce generis lumẽ, prognata est, uirgo forma egregia, morib. pudicissimis, & quæ cū ueterib. heroinis omni foemineo cultu, uirtuteq; certare poterat. Hæc ubi adoleuit, uiroq; matura uisa est, Ioanni Gerardo comiti Sannazario, cui Papiensi, uiro bonis literis excultissimo, nuptiũ est data. Isq; nũc amissa cõiuge, templi maioris Albigauni sacerdos, & ut nũc uocant, Canonicus, Papiæq; collegio D. Mariæ in Pertica præfectus est. Vnã illi summã fortuna fecit iniuriã, quod cū succedere socero dignus esset, ab hoc tamen inuida, uirum optimum omni telo prohibuit. Sed forti animo sis Gerarde clarissime: illa, quod suũ erat, se cum tulit: quæ tua sunt, innocentia, fidẽ, cõstantia, animi magnitudinem, cæterasq; bonas arteis, quibus semper decoratus fuisti, nullo à te ferro seu diuellere poterit. Hastenus ista in hac Italiæ parte gesta sunt: nunc quæ alibi. Et ut reliquum uite sue cursum transegerit, breuiter audietis. Decesserat Veronica, Ioannis Iacobi dulcissima cõiux, cū ille nequaquã per socordiam sibi uitam ducendam ratus,

tus,

tus, Romam cogitare cœpit: quò profectus, diu-
 us latere tantus fulgor non potuit. Quare in sum-
 mi Pontificis curiam lectus, urbiq; præfectus, tanta
 prouinciam sibi decretam uigilantia, tanta integri-
 tate, iustitiâq; gessit, ut Pontifex Albigaunensis à
 Clemente septimo Pontifice Rom. crearetur. De-
 inde in agrum Picenum (quam nunc Marchiam
 Anconitanam uocant) legatione, Perusiâq; ac toti
 us Umbriæ præfectura summo pontificij senatus cõ-
 sensu perfunctus est. Prætereo honorificas ad prin-
 cipes legationes, aliosq; magistratus, quos ille san-
 ctissimè administrauit. è quibus missione uix à Papa
 impetrata, de grege sibi cõredito sollicitus, remea-
 uit ad suos: Albigaunumq; urbem in Liguribus ma-
 ritimã, tanquã bonus pastor petiuit, ubi bonã uite
 partẽ cum sibi cõmisso grege traduxit. Qui ut pa-
 triæ etiã suæ sui aliquã portionẽ daret, nonnunquã
 huc se recipiebat, atq; inter gregem, interq; patriã
 ita officia diuidebat sua, ut nec illi suũ deesset mini-
 sterium, nec huic in rebus dubijs suffragium, pru-
 densq; consilium. Dumq; ita per interualla
 se suis pergit impertiri, non morbo, sed senio potius
 accidit, ut ubi primùm hauserat uitalem spiritum,
 ibi ultimum deponere, uitamq; temporaneam cum
 æterna commutaret. Hoc illi bonæ uoletudinis
 parens illa & conseruatric frugalitas, temperan-
 tiâq; contulit, inimica luxuriosus epulis, & ui-
 ni abun-

ni abundantia aliena, & ab omni immoderato Veneris uſu auerſa. Sciens enim in uino quanta eſſet ad labefactadā mentem uis, quantaq; ad morbos & malas uoluptates ſouendas, uinum per totam uitam non bibit, ut uerè *ὑπεράλιος* eſſet. Annum enim circiter nonageſimum agens, omnibus ſuis fungebatur officijs: non illi labefacta memoria, nō obtuſum ingenij acumen, non remiſſa cogitandi uis, firmi proetate greſſus, non tremulæ manus, aut caput, oculi uiuaces, hilaris frons, lingua expedita. Hic hic tanquā alter Cato de ſenectute nobis dare optima conſilia poterat, docereq; arma ſenectutis arteis eſſe bonas, actionesq; uirtutum, quæ in omni etate cultæ, cum multū diuq; uixeris, mirificos aſſerūt fructus: non ſolū quia nunquam, ne in extremo quidē tempore etatis (quanquam id maximum eſt) uerum etiam quia cōſcientia bene actæ uitæ, multorumq; benefactorū recordatio iucundiſſima eſt. Quid igitur mirum, ſi ſenectus illi uiridis fuit, & ſine querelā? In moribus enim noſtris omnis culpa eſt, non in etate. Iuuenes nobis aut bonam, aut malam ſenectutem paramus. Quis igitur tam ſacilem, tam humanum, tam ſanctum ſenem, non uberrimis lachrymis proſequatur? Nunc nunc ciuibus ſuis, nūc Chriſti, quorum cuſtos ac ſpectator erat, ouibus utilis eſſet. Siquidem uir ſapiens, & multo rerum uſu peritus, quod unū maxime huic etati datur, multis

p

millibus

210 In Roland. Trouamalum
 millibus (ut est apud Homerum) præstat. Sed quid
 agimus, ciues optimi? in hoc enim mundi theatrum
 mittimur, suas quisq; partes acturi. egit ille suas,
 nos agimus, & utinam bene: alij agent. Iunior, o-
 pes incorruptibiles parauit: adultus, persanctè ma-
 trimonium coluit: senior, munera cum profana,
 tum sacra incorruptissimè gessit. Suis charus, ex-
 ternis beneuolus, omnibus utilis, iucundus, hone-
 stus, animorum illam immortalitatem abijt fruitu-
 rus. Absint itaq; lachrymæ, querelæq; omnes, ne
 perpetuò uiuentem lugere, cæloq; inuidere uideamur. Dixi.

P A P I A E.

CAELII SECUNDI CVRIO-
 nis in Rolandum Trouamalum Sa-
 lensem, qui pro patria in carce-
 re morbo confectus est,
 Laudatio.

CVM maiores nostros cōsidero, factaq; eorū
 egregia, uiri præstātissimi, fateri equidem
 cogor, fuisse illis diuinū propè animi robur, ut qui
 uarios huiusce uitæ casus tanta animi magnitudine
 subierint. Verum cum nostræ ætatis præclara uiro-
 rum facinora uideo, aut paria illorū, aut maiora
 esse iudico: nec deesse hominib. nostris uirtutes, ex-
 celsūq; spiritū. sed qui eorum facta uirtutesq; di-
 ctione